

3

D. J.
DISSERTATIO ACADEMICA;
DE
APOPLEXIA,
QUAM
Conf. Exper. Facult. Medic. Aboënsis
PRÆSIDIĒ,
VIRO Celeberrimo
**D: NO DOCT. JOHANNE J.
HAARTMAN,**

ASSESS. ATQUE MEDIC. PROFESS. REG. & ORDIN.
ACAD. SC. R. S. MEMBRO.

Ventilandam s̄istit

NICOLAUS AVELLAN,
Stip. Reg. & Amanuensis Laborat. Chemic.
In AUDITORIO MAJORI Die ~~XIIII~~ Noyembris Annī
MDCCCLXXI.

ABOÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL;

Medicina est apposito & ablato. Ablatio quidem excedentium: apposito vero deficientium, idque optime faciens optimus erit Medicus. Qui vero ab eo plurimum defleciit, plurimum quoque defleciit ab arte. Hippocr. Lib. de flat.

Omnis curandi ratio dicitur a morbi natura cognita, loco adfectio, cœ gri temperatura, ætate, viribus, regione, anni tempore, aëre, consuetudine &c. Quæ ubi recta ratione & scientifice inveneris, quoque scientificam indicabunt (curam scilicet). Hollerius.



Quoniam inter periculosisimos est morbus Apoplexiae, tam quoad symptomata gravissima & momentosa maxime, quam quoad exitum fuisse nefissimum, satisque præterea obvius, nec adeo rarus est, præsertim inter urbanos & voluptuosos, neque antea, quantum satis est, quoad species suas & medicinam prophylacticam explicatus; ejus quidem delineationem utilissimam maximique momenti existimavimus, quantumvis etiam imperfecta & insufficiens futura sit, quod Benevolum Lectorem me liorem in partem interpretaturum speramus. Sit itaque

PARS GENERALIS.

I. NOMEN & DEFINITIO *Apoplexia* nempe (percussio), seu *Ecplesia* (obstupescientia), *Sphacelismos* (corruptio), *Bletos* (ictus), *Apbonia* (vocis defectio), *Embrontesis* (astulguratio), *Astrobolismos* (sideratio), *Cataptofis* (attonita coincidentia), *Paralysis* (dissolutio nervorum) & cætera ejusdem generis apud Græcos; *Nylsbred* (fluxio Frigida) Ægyptiorum; *Resolutio nervorum totalis* Celsi, *Apilepsis* Heurnii, *morbus attonitus* Lommii & Cortnummii; der *Schlag*, die *Handt-Gottes*, der *Trost* Germanorum; *Slag* Svetice; *Zalfwauis* Fennorum: Est *subita quadam functionum animalium cessatio soporosa*, *salvis quadantenus respiratione & pulsu*. Adpellari etiam potest somnus profundus subitaneus, cum sensuum omnium & motuum voluntati subditorum Paralytica feriatione, superstite pulsu (duro) & stertore.

Hinc clarum est, esse hunc morbum Privatum, generis scilicet nervosi jam dum debilitati, stricteque

morbū Comatosum seu soporosum, qui sāpius con-
junctus est cum Paralysi partiali, vel etjam in eandem
immutatur. Respectu habito febris, quā Apoplexiæ co-
mes esse solet, ut & intra calvariam existentis inflam-
mationis ac Haimorrhagiæ, consequentisque Erythema-
tis, effet aliqua ratio, in systemate morborum, classifi-
candi apoplexiā, vel inter Febres remittentes, aut potius
inter Phlogisticas Profluenteſe morbos, quoniam inter-
dum est quāſi epidemica, curaque ejus in multis eadem est
cum prædictis. Attamen plurimi systematici ſumma
cum ratione in eo conſenferunt, quod debilitatibus ge-
neris nervosi, ſpeciatimque comatosis, eam adnumerar-
verint. Coma enim, quod maximē eſt ſpectabile &
nunquam non præſens ſymptoma, debilitasque ſyſte-
matiſe nervosi, ſive a compressione ſive undecunque o-
riginem ſuam ipſa duxerit, ipſam formam & conſtitu-
tionem hujus morbi ingrediuntur proxime, neque adeo pri-
mam cauſam efficientem morbi conſtituent, multo minus ef-
fectibus ejusdem accidentalibus, quemadmodum Hai-
morrhagia & Erythema Apoplecticorum, accenſeri poſ-
ſunt.

II. DIAGNOSIS. Quemadmodum ſecundum datam
definitionem apoplectici ſive attoniti ex lapsu repentino,
gravique ſomno, unde excitari non poſſunt, uti quo-
que ex feriatione functionum animalium, ſpeciatimque
ex ſtertore, facile ſunt dignoscibiles: ita a cæteris quo-
que morbis affinibus, utpote Cataphora, Caro, Lethar-
go, nec non a Catalepsi, Apsychia Galleni & Leipopsychia Hipp.
ſeu Syncope, Orthopnœa ſeu Catharro ſuffo-
cativo, Hysteropnœa ſeu Apnœa Cel. Vogelii, Asphyxia, Epi-
leptia, Paralysi & Typhomania, quamvis hi a vulgo, im-
mo etjam nonnullis Medicis, confundantur invicem,
noſter hic morbus gravissimus absque ulla diſſicultate
dignosci

dignosci poterit. Stricte Apoplexia conjuncta non est cum signis delirii, ut Typhomania; vel cum sensatione aliqua & motu, ut Catharrus suffocatus; vel cum pulsu cessante, ut Asphyxia; vel cum respiratione sublata, ut Hysteropnia & Syncope; vel cum evigilatione intercedente sub somno, ut Cathaphora; vel cum somno paulatim adveniente & sine febre, ut Carus. Epilepsia semper adest cum convulsionibus; Lethargus liber fere est ab stertore, & absque ulla paralysi, sed cum oblivione; Catalepsis vero sistit se absque lapsu, cum aptitudine ad retinendos situs inditos artuum; & Paralysis efficit stuporem partis cuiusdam sine sopore mentis.

Evidem saepius vel robustissimos etiam quosque, absque prægresso morbo, adoritur atque invadit hic morbus funestus cum exitu. Sed attentiores tamen Medici, præfigire plerumque possunt adstantem prope vel appropinquantem Apoplexiæ. "Nullus est morbus," inquit Celeber. Tiss. quem diu ante facilius præfigire " possis, nullus quem adulterum difficilius expellas. Inde " finenter ergo svadere deberent Medici periculum, in " quod conjicit ignavia circa leves illos paroxysmos apo- " plexiæ prodromos. Si robusti corpore, sed cervice bre- viori, iidemque voluptuosi & pituitosi, moliminibus Haimorrhoidum interceptis, vel obstructione visceraum la- borantes, dolore cervicis in specie, vel alias etiam gra- vativo capitis, cum conaminibus interdum vomendi tem- pore matutino, infestantur: Si Plethorici, vel alii etiam obesi corporis & capitones, aspectu redduntur torvi fa- cieque vultuosa, aut alias quoque præter solitum rubescent cum livore, somniant præter consuetudinem, sub- delirant interdum sub gravitante torpore, carotides tu- mescunt & pulsant, aures susurrant, oculi rubescunt acu- tique apparent vel illacrymant, memoria yacillat, &

vertigo adest tenebricosa idiopatica, dentiumque stridor in somno aut sardasis observatur: Si insveta lassitudo, tarditas, angustia pectoris & somnolentia gravat illos, qui in dieni vivunt, præsertim vero, si accesserit simul tremor & formicatio vel vacillatio corporis, caligo & Leipothymia vel Syncope &c: vel pigritia etjam mentis subito animadversa, & oblivio insolita irreperitur, vel respiratio redita fuerit solito profundior, & difficultas insveta in loquendo sentiatur, cum voce interrupta & lingua hæsitante, vel os etjam in obliquum feratur, cum vibratione & palpitatione totius corporis: tum fere apoplexia metuenda est; quemadmodum etjam ad laesiones quasque capitis graviores. Senes Peripneumonia, Ephialte & doloribus capitis lentis laborantes, idem periculum siveunt ad velocias tempestatis variationes aëreque humescente; nec minus repentinum gaudium, compressa ira, & compressus gravis mœror, attonitum morbum in hoc hominum genere producunt. Si dispositio simul adest apoplectica, vertiginesque cum pluribus aliis signis supra enumeratis se insinuant ad Catharros, vel coryzas, senibus ōvenientes statim post somnum matutinum; vel apud plethoricos etjam mox post eibum, quin & apud aliosquoque ita dispositos, post usum fervidorum potulentorum, post alterationes, offendentes, vel profundas meditationes, vel post interceptas Haimorrhoides &c. eadem vertigines semet sistunt: tum quidem medicamenta prophylactica mox adcuratius observanda erunt; & si respiratio solito profundior, cum pinnis narium compressis & sopore accesserit, tum nulli moræ locus est pro repellenda vera apoplexia. Paroxysmi febries hujus morbi dignoscuntur ex sopore vehementiori & magis lesta respiratione, ex urina item pallida statis temporibus nyctemeri.

III. SEDES MALI. Willisus quidem retulit, nullum quandoque vitium in Cerebro aut in Cerebello fuisse conspicuum; nihilominus tamen id, quod feriationem sensorię efficit, intra calvariam inquire & inveniri debere certum est, saepius in sinubus, praeципue vero in lateralibus & torculari, nec non in arteriis meningum vel utriusque cerebri; etiamsi nullus certus locus determinari potest, quoniam valde dissimiliter heic se res habere deprehenditur, secundum ea, quae Wepferis, Bonetus in sepulcreto, Morgagni, de Hæn, aliquo observarunt. Dantur vasa sanguinea intra calvariam, tam circa superficiem cerebri, quam circa omnes ejus anfractus & valvulas, sanguine repleta, (quin ipse etiam plexus choroideus in ventriculis crurore obstipatus), sed absque ulla extravasatione, quantumvis interdum aneurismatica & varicosa. Interdum vero etiam simul extravasationes inter cranium & duram dictam matrem; modo inter hanc & piem; frequentius hanc inter & cerebrum ejusque lobos in corporibus striatis & ventriculis; frequentissime vero in ventriculis lateralibus; immo etiam interdum per infundibulum, vel circa cerebellum vel medullam oblongatam usque ad foramen magnum ossis occipitis, immo etiam ulterius ad medullam spinalem. Saepè etiam lobus anterior & thalamus nervi optici glandulaque pinealis visa sunt præternaturalia, quemadmodum Wepfer aliique observarunt; rarius autem exadverso deprehensa fuit substantia cerebelli mutata & extravasata. Neque tamen casus desunt, in quibus haec ejam fuit inflammata, vel a sero quasi inundata & dissoluta, pro ut in vetula apud Platerum; uti in aliis rursus casibus exsiccata quoque inventa est, quam in rem Morgagni commemorari meretur, qui exemplum adducit, ubi tota medullosa substantia cerebelli fuit indurata, cortex vero ejus inflammata. Si tamen conferantur plures obseruationes, sedem mali sa-
pius

pitis deprehensam juxta cellam equinam & corpus callosum invenimus, & saepissime quidem, uti jam diximus, in ventriculis lateratibus, plexibus choroideis & corporibus striatis, ubi etiam vas a sangvinea multo plurima adsunt, in quibus vel extravasatum pituitosum, vel ferum, vel erupta etiam vas a sangvinea, aut haec saltē ad diametrum insigniter dilatata animadversa sunt, quod Morgagni verosimillime inde derivavit, quod vas hic nullam habeant resistentiam vel fulcrum a ventriculis, quemadmodum in aliis locis cerebri, verum propterea quoad tonum debilitata, dilatentur primo vel aneurismatica fiant, & hinc occasione sic ferente, ita expandantur, ut interdum rumpantur penitus, sive laesionem sensorii efficiant.

IV. DISPOSITIO. Ad Apoplexiā prōni sunt præ ceteris Infantes, fibris gaudentes irritabilioribus, cum substantia molliori cerebri & simul sensibiliōrī systemate nervoso: (a) Plethorici, obesi & corpulentī intra 40 & 60 annum, & qui plethora partiali capitis laborant; ut sunt plerumque homines, facie orbiculata & lata, collo brevi, latisque humeribus, præsertim si quoque ex singulari aliquā dispositione hæreditaria intra calvariam huc inclinaverint, sive sit per excrescentias, vel per certam aliquam figuram vasorum, vel per laxiorem medullam cerebralem, quam Morgagni aliique in pluribus obſervarunt ex morbo siderato mortuis: flatulenti, laute viventes, sedentarii, qui habent laxum & magnum abdomen, vasa vero absorbentia nimis laxa, & ab Haimorrhoidibus, vel aliis interceptis evacuationibus, vel Arthritide; incommodantur: Dyspnoici, & ii quorum

(a) Per experientiam notum est, lactescentes & infantes primis vitæ annis esse magis dispositos ad pinguedinem: nonne hoc etiam ad apoplexiā eorum confert?

quorum humores ex phlogosi vel bile atra facti sunt spissiores: e. g. Rheumatici, Phrenitici, Peri- & Pleuro-pneumonici, Melancholici vel Atrabiliarii, Ephialte affecti &c: Cachectici & Leucophlegmatici, lentore pibuitoso laborantes, Asthmatici, polypos cordis gerentes, & viri litterati dum libris impallescunt, ut etiam scorbutici, quorum humores sunt putredinosi, aereque magis mixti, quam ut per humores corporis naturales sufficienter possit idem densari, qualis tum quidem Physiologis inelasticus dici solet. (b) Sic quoque præ cæteris senes, qui spirituosis abutuntur, aut nimis voraces sunt; quibus coálerunt jam vasa minima; iracundia item, & crasto, pituitoso, inertis, frigidoque sanguine gravati, ad apoplexiā Dispositi sunt.

V. CAUSSA. Nob. Dn. Doct. Joh. von Flammerdinge, Medicus Francofurtensis, acu rem proxime tetigit, quando Disputatione de Apoplexia Thes. 2. dicit: causam proximam Apolexiæ esse, vel sanguinis ad cerebrum affluxum inhibitum, vel spirituum animalium e cerebro & cerebello effluxum prohibitum. Quidquid vel concrescendo, vel obstruendo, vel comprimendo, vel quo demum cunque modo alio, ita laedit aut afficit sensorium commune, ut vel inhibeat sanguinis ad cerebrum affluxus debitus, eoque ipso deficiat secretio spirituum ex sanguine instituenda, in medulloso utriusque cerebri parte; vel hoc etiam non obstante, prohibetur porro tam transitus spirituum jamdum secretorum in nervos, qui sustinent functiones animales: id certe causam

B

sam

(b) Talem aërem elasticum Willius pluresque alii observarunt, copiosissimeque adparuit in piscatore, quem Morgagni in libro de sede & causa morborum Ep. 5. p. 196. describit.

Jam constituit proximam Apoplexiæ. Galenus, Hippocrate præente, ut aliorum hac de re sententias jam taceamus, solum sanguinem, venas obstruentem, veram adstruxit morbi attoniti causam: sed quemadmodum ex observationibus Cheseldeni, Wepferi, Morgagni, plurimorumque aliorum, in sepulcreto Boneti alibique constare poterit, non solæ stagnationes sanguinis, ex repletionibus inflammatoriis, vel ex dilatatis per plethoram quandam partialem vasis arteriosis, oriundæ, ictus apoplecticos effecerunt, qui tum quidem sanguine extravasato sæpius in casu lethifero stipati fuerunt; sed sæpius etiam originem debuerunt hi ipsi biliosis vel viscidis humoribus, Ichori, aëri vel aquæ euidam serosæ; immo etiam polypis, Aneurismatibus, indurationibus ossieis, steatomatoceis, & scirrhosis, vel excrescentiis etiam aliis, glandulæ pinealis &c. quæ compreserant & impedierant sufficientem liquidi nervi secretionem, eoque ipso siderationem effecerunt. Deprehensa vero etiam est Apoplexia interdum ortum duxisse ex defectu sanguinis boni, ex acrimonia atrabilaria, scorbutica, podagrifica, ictericorum, & ex venenis raborum &c. ut taceamus effluvia calcis & carbonum, aliasque varias exhalationes & humorum acrimonias, ad cerebrum propulsâ, quæ induxerunt inertiam, contuleruntque ad compressionem vasorum subtilissimorum, vel alio modo quocunque produxerunt morbum. Contusiones, motus spasmodici, vitia respirationis &c. sæpius quoque attulerunt repletiones cerebri; causæ item aliæ, quæ Medicis dicuntur occasio[n]ales, quales ex speciebus morbi infra recensendis proprius dignosci poterunt.

Quam vero ob causam cerebrum sæpissime & plenique facilius alia quacunque corporis parte aggravetur sanguine nimio, & comprimitur; curque præterea ab acrimoniis variis lœdatur & apoplectice afficiatur: non fini-

simplici tribendum est principio, sed ejus rei plures
 dantur causæ. Nam quod posterius adtinet, secundum
 Physiologica & Anatomica experimenta, nulla datur cor-
 poris pars, in qua propter subtilitatem valorum, omnium
 minimorum, simulque tenerrimorum, injectiones
 artificiales minus ad votum successerunt, quam in ce-
 rebro; nec ulla quidem sensatio datur partis ullius te-
 nerior, quam ipsius sensorii communis. Quid igitur
 mirum, si cerebrum aliquando etiam a dyscrasiis humo-
 rum fortius atque Apoplectice constringatur, quemad-
 modum accidit Professori Juris Bononiensi, quem Valsal-
 va dissecuit; Præsulique, cuius una cum illo Morgagni E-
 pist. Anat. IV. art. 4. & 13. meminit. Hi quippe ex Apopl.
 Pituitosa exanimes facti sunt, licet cæteroquin alter il-
 lorum inopia sanguinis laborasse deprehenderetur. Pri-
 us vero quod adtinet, cur nempe cerebrum facile adeo
 celeriterque sanguine repleatur, id quidem ex multis
 provenit causis, quarum alias observavit Nob. Hoff-
 mannus Tom. II. p. 240, nec non Clar. Tissot in ele-
 ganti suo tractatu de Variolis, Apoplexia & Hydrope,
 illustrissimo v. Haller dedicato, p. 84. quibus & nos ali-
 as plures subjungemus. Et 1:o quidem vix datur mi-
 nus volumen in corpore, ad quod tantum sanguinis
 circulat, quantum ad caput & cerebrum, tertiam enim
 partem circiter totius massæ sanguinæ corporis quanti-
 tate exæquat. 2:do Vix ad aliam aliquam partem cor-
 poris tanta ruit vehementia. 3:o Probabiliter etiam pars
 sanguinis gravissima & maxime volatilis huc fertur, un-
 derarefactio ipsius & vasorum ruptio tanto citius contingere
 potest. 4:o Cum pressio aëris in reliquo corpore nota-
 bile impedimentum adfert gressui sanguinis citatori;
 nullum omnino efficit in cerebro, utpote calvaria ob-
 ducto, hac quidem ipsa apud ætate proiectos inelasticas
 prorsus. 5:o Sunt etiam, qui cranio continentur, rami
 B 2 caro-

carotidum, v. Haller observante in primis lineis Physiologiae §. 317, tenui & fragili magis, quam reliquæ arteriæ, substantia. 6:o Accedunt Arteriarum variæ anastomoses, præsertim in pia matre & ventriculis cerebri &c. 7:o Affluxus sanguinis ad cerebrum fere nunquam diminuitur, verum ex adverso sæpe augetur, defluxus autem ejusdem pro varietate respirationis sæpius minuitur. Et incremente sic quidem cursu sanguinis ad caput, affluxus ejus ad cerebrum 8:o plerumque citius absolvitur quam per defluxum minui potest, unde consequenter caput sanguine sæpius intumescere quasi debet. 9:mo Dantur, præter exspirationem solitam, occasiones, molestiæ ac incommoditates multo plurimæ, quibus sanguis in pulmonibus & venis jugularibus obstruitur, unde consequenter impedimentum enasci poterit decursui sanguinis ex capite. 10:mo Vero simile quoque est, sanguine nimium ad cerebrum coacto, diminui etiam ex aliqua parte secretionem fluidi nervi, consequenter deperdunt sic una cum vasis cerebralibus musculi totius corporis, quin ipsum quoque cor, aliquid de suo tono & de sensibilitate, quam a nervis accipiunt, e contrario vero simul augetur irritabilitas cordis per sanguinem, qui uberiorius de toto corpore adveniens cor magis magisque convulsive extimulat. 11:o Sangvinis recursus heic non ut in reliquo corpore, a motu musculari adjuvatur; quin potius retardatur plurimum, motione sanguinis per venam cavam inferiorem promota. Etiam 12:o videntur spasmæ extremorum pariter atque ventriculi, nec non, certi quidam affectus mentis, multum contribuere ad ascensum sanguinis caput versus, ejusque obstructionem; ut taceamus, quid collare graviter adstrictum, vestes coactæ, super abundans pinguedo, aer frigidus, & cum annis ad crescens identidem inertia sanguinis, cum frigore & rigiditate extremorum, pariter atque cum desiderio spiri-

spirituorum, & diminuta sensim transpiratione, præter caussas alias plures occasioales, conferre possint, ut sanguine saepius caput quasi obtumescat, proptereaque compressiones nervorum efficiant.

VI. PROGNOSIS. Nullus datur morbus, ad quem curandum natura minus confert, quam apoplexia, rariusque attoniti inde revalescunt absque partis alicujus resolutione. Præcavetur facile, raro integræ sanatur, & quod observandum, male heic naturæ creditur sanitas, nisi enim adjuventur saepè ipsi conatus quibus in morbum insurgit, incurabilem illum reddunt, Tiss. L. c. p. 92. Insultus Apoplectici debiliores, & qui sunt Hemiplegia prodromi cum oris distortione balbutie & linguae declinatione ad latus sanum, sanantur saepissime; neque in apoplexia a prædominjo lymphæ minor spes est; ast apoplexia sanguinea exquisita vix unquam sanari potest. V. Svieten. Omnia tamen siderationum quæ a vitio proficiscuntur humorum non valentium liberare transfire per vas a cerebri, sive sint a polyposis concretionibus, sive lentore pituitoso, seu spissitudine inflammatoria, seu picea abrabilaria, sunt funestissimæ, quia labem inveteratam in cerebro, ac saepius ætatem senilem supponunt, in quibus facultas motrix est effœta omnino & langvida. Neque vero ab attonito morbo liberati, ex alio facile decedunt postmodum; exiguis namque de caussis recidivum patiuntur, quod intra triennium etiam mortem ipsam accelerare potest. Migrat tamen interdum in Paralysin, Epilepsiam & Melancholiā: sed remanent nihilominus hebetes, pusillanimes, lacrymant ac mōrent. Qui semel Apoplexia correptus, posteaque fit vertiginosus, novos insultus exspectet, & semper quidem graviores. Amaurosis, & Vertigo ex atonia, seu Leipothymia idiopatica, ætate provectionibus, nuncius saepè est Apoplexia, nec non Cephalalgia & Hæmicerania idiopatica indomita.

Vertiginosi senes, quando detentionem humorum circa caput e. g. Corytzam sentiunt majus animadvertunt periculum a somno evigilantes, Fischer de senio.

Spes est salutis, ubi post Venæ Sectionem & congrua auxilia, intra XXIV horas sequitur levamen & symptomata remittunt, facies apparet magis naturalis, respiratio fit liberior, ac pulsus bene se habet; ubi Clyisma injectum intra horæ spatium redditur; si adhuc deglutint illa, quæ ori infunduntur, nec sumta pocula per nares aut os refunduntur; si lavatio multa instat, ubi mucus e naribus fluit, & si œdema pedum vel membra paralyticæ ante resolucionem morbi resolvitur, Hoffman. Levior solvitur superveniente sudore multo æquabili, torido, calido, levante; Urina multa crassæ, Haimorrhoidibus largis; diu fluentibus: alvi fluxu: vomitu: febre critica, typum quotidianæ tenens in apoplexia pituitosa. Boerhave. Ex apoplexia delirium non semper lethale, A. N. C. Contra ver refrigerationes & torpores in Apoplexia malum denuntiant statum, nec minus febris valida. Quo fortior pulsus & minus æqualis eo pejor, idque maxime in jugularibus. Phodius. Ex parvo sensim in magnitudine crescens cum dysphagia malum, Ballon: & quo magis offenditur respiratio eo pejus. Quibus cerebrum vulneratur, febris plerumque ac bilis vomitus accedit & corporis sideratio, & tales perniciose habent, edocemur in Coacis prænot. Pessima signa portendunt, stridor dentium, ventris inflatio, spiritus & sùdor frigidus, spuma viscida ante os; si convulsivi motus unius lateris accedunt, & urina atque stercore sponte elabuntur; ubi clyisma injecta retinentur, & oculi nebulo inficiuntur; si excitati denuo torpidi & somnolenti fiunt; si Epilepsia vel Melancholia succedit: Boerh. Si intra XXIV horas (vel intra quatuor dies ut Lommius vult) excitari non possunt, vel sub accessiōibus febris

febris si recrudecunt, præsertim diebus imparibus, vel tumor ante febris finem cessat, sine reditu sensuum. In Apoplecticis ex spiritus molestia sudorem accedentem esse lethalem, dixit Hipp. etiam in Proenot.

VII. CURA GENERALIS SEU GENERICA. (c) Ratione duce indicationes Medici eo maxime collineare debent, ut evacuando solvatur Haimostasia cerebralis, & derivando removeatur impetus & copia humorum a capite. Sed simul a causis remotis (Prægumenis scilicet &

(c) Ictus possunt originem suam ducere, ex valde diversis & saepe contrariis caussis §. V. unde facile intelligi potest, nec curam nec prophylaxin generalem heic magis quam in aliis morborum locum habere, vel possibilem esse. Apoplexia ex aliorum morborum acrimoniis ad caput ascendentibus e. g. ab ischuria & consolidatione ulcerum aliam requirit curandi rationem, quam Apoplexia a centusione, & Phlogistica; aliam iterum Apoplexia a nimia evacuatione, ab ea quæ in Apoplexia Plethora & Temulenta adhibenda est; Apoplexia Spasmodica, Intermittentum, & Ventralis &c. similiter curam aliam requirunt, ut ex speciebus ultertius intelligi potest, Medicus invire & administrare debet auxilia, ait Corthnumius Cap. 58. §. 56. quibus morbus, si adhuc in herba est, præcavetur, si præsens debellatur & e corpore exterminatur. Auxilia illa nihil sunt quam remedia, quibus natura morbum sanabilem potest superare, quorum inventio nem suppediat methodus medendi, veris Medicis secretum secretorum omnium secretissimum, nemini communicandum, nisi cui omnes Medicinae partes sunt perspectissimæ: illud qui ignorat, non magis Medicæ rationalis nomen meretur, quam quivis a plebe. Circumforanei enim medicastræve, & id genus hominum experimenta quedam habent quibus confidunt; eorum si nil quidquam morbum pellit, exhausta est ars eorum. Vero autem Medico secundum rationem in methodo medendi comprehensam operanti medicamenta non possunt deesse. Quod si juxta ejus normam operatur, nec ab ea latum unguem recedit, recte & optime dicitur morbum curare, licet natura succumbat & moriatur æger. Nam aliud est morbum curare aliud sanare. Hoc solius naturæ opus est; illud vero Medici docti qui omnibus viribus in id incumbere debet, ut auferat ea que naturæ in sanando possunt esse impedimento: contra vero suggérat ei omnia a quibus illum sperari potest adjumentum.

& Procatarecticis) probe dispiciat, quo usque verus sanguis, vel pituitosum, vel serosum, vel aliud quid, aut quantitate aut qualitate aut motu suo peccet, astimabitque simul, quemadmodum lentor humoresque stagnati commodissime solvi, amoveri vel absorberi, deficientes vero liquores restitui possint, quo sic pars affecta, sensatio, fluxus fluidi nervei, respiratio & tonus fibrarum restituantur, sive id fiat evacuationibus, revulsionem vel aversionem simul promoventibus; sive alterantibus atque resolventibus, dyscrasiam & stasin corrigentibus; quin & roborantibus interdum, tonum & spiritus restituentibus; tam per Diæteta, quam per Chirurgica & Pharmaceutica.

Copiam & impetum humorum, & vel imprimis sanguinis ad cerebrum, evacuantibus & derivantibus diminuere alaboramus, venam scilicet vel iterato interdum secando; (d) vel per arteriotomiam temporalem (Arterias pone aures Aretæus de morbis diut: L. 1. C. 2. commendat), vel per sanguisugas Hirudines pone aures & ad tempora, vel circa anum in Haimorrhoidariis locandas, vel potius per scarificationem Nuchæ, quam Morgagni in advers. Anat. 6:o anim: 83 aliique commendant; item Cucurbitis prope jugulares, ut Piso monet; & Cucurbitis cæcis circa futuram coronalem & reliquam calvariam, more Hendrici ab Heer Tungri obs: 21. vel interdum etiam *Trepanatione*: in subjectis vero

(d) Evacuationes sanguinæ summa se utilitate comendant, quando copiam sanguinis nimiam minuunt; quando circulationem ejusdem justo celeriorem moderant; vel quum materiam morbosam revellunt cursusque humorum ex uno loco staseos in alterum avertere, derivare & allucere quasi valent. Et horum quidem omnium respectu generatim comendari merentur seu utiles in Apoplexiis sic dictis sanguineis, nec non in nonnullis Pituitosis atque Accidentalibus, & quidem saepissime in brachio vel sinistro, quemadmodum le Fevre Bisuntini in operis sui Volume 1:mo §. 35 aliique determinaverunt, vel etiam in brachio dextro instituta, svalente Morgagni in Operc de sedibus &

vero pituitosis etjam *Setaceis & Fonticulis*, s̄epius vero
Vesicatoriis, Sialagogis, atque Errbinis, e. g. turundis de
Peto vel pulvere Cephalico &c.

Præter hæc evacuantia atque derivantia, cruditates etjam primarum viarum, & frequentius quidem in pituitosis, statim removendæ sunt per *Emetica, Laxantia & Enemata*, eademque repetita, quippe quæ simul derivantium & alterantium vicem commode tueri possunt. *Christ. Langius* in *Miscel. Sal vitrioli* ceu emeticum Apoplecti-
cis maxime extolit; Nos vero infusum Tabaci, secundum monitum Carlii in suis commentariis Medicis, vel Pulverem Algeroth, hoc est Merc. vitæ, quem D. Lieutaud ad gr. iij commendat, quatenus utrumque horum illico agit simul ac deglutitum fuerit; sed multo quidem magis oxymel scilliticum cum sulphure aurato Antimonii, propter effectum non modo vomitorium, sed etjam discussorium, eidem præferimus. Ubi Emeticis uti non licet, ibi Clysmata & Laxantia tutius statim adhibentur: & Clysmata quidem iterata fortiora sine oleo, vel ex aqua salita ad consilium Mynsichti, vel ex vino Emetico ad mentem Dolæi, aut ex infuso nicotianæ, cum oxymelle simplici, aut oxymelle scillitico more Scultzii mixta; deinde vero laxantia e. g. Pulyis Cornachini cum Elaterio, vel Essent. Catholica Rothii, vel Decoctum

C

Tama-

causis morborum Epist. III. art. 17. Interdum tamen caute admodum & parcissime adhibenda sunt Venæ sectiones, pro ratione virium, non quanta in præsentiarum videntur, sed quantæ fuerint immediate ante invasionem, præsertim in senibus & in Apoplexia ex lentore pituitoso, ad evitandam in humoribus viscidis partis tenuioris excolationem & conspiillationem, quare in ejusmodi casibus tutius est, scarificatione & cucurbitis cœcis uti, vel solummodo clysmata acerora & laxantia hydragoga & vesicantia &c. adhibere. His quoque V. S. in pedibus instituta interdum præstat. Confr. Wepf. de Ap. pag. 534, & Morg. opera.

Tamarindorum cum Senna duplici vel triplici locum habent. Ceu derivans Syderatis utilissimum judicamus, manus in aceto calefacto tenere, vel in aqua ad svasum Morgagni, posteaque ligaturis brachiorum & femorum uti, Iudicante De La Motte T. I. p. 122. vel Epispasticis circa suras, quæ fere semper utilia sunt, quemadmodum etiam diuretica salina.

Adhibitis sic ex hisce remediis, quæ convenientissima pro circumstantiis ægrotantis & secundum indicaciones judicantur, tentanda erit porro solutio lentois tum inflammatorii tum viscidæ; illius quidem *Refrigerantibus* Salinis e. g. sero lactis tamarindorum, vel crystallis tartari cum tantillo salis succini &c; hujus vero posterioris *Resolventibus* Diureticis & Tonicis e. g. haustu salino ad modum Riveri, vel ad modum Huxhamii correcto, vel Tinctura Valerianæ Volatili, vel Mixtura tonica ad modum Stahlii, vel Tinctura resolvente Junckeri h. e. Tinctura Antimonii cum Terra foliata Tartari, vel oxymelle scillitico, interdum etiam Chinatis &c. interne; & speciebus Cephalicis pro Cucuphis, vel pulvere succini ad suffimenta, vel Balsamicis cum oleo succini &c. ad exteriarum fomentationem, ubi frictiones calidæ tolerari possunt.

Sic igitur ubicunque cura rite instituenda erit, tam in Apoplexia ita dicta sanguinea, quam serosa atque accidentali, Clysteres 1:o Applicandæ sunt, exdemque, sive enollientes sive stimulantes fuerint, repetendæ ad necessitatem, & quantum satis est, vel Enemata dicta etiam adhibenda cum fumo nicotianæ. Deinde 2:o Explorandum quoisque Emetica prodesse possint. Tum vero 3:o pro circumstantiis expendendum venit, num Venæ Sectioni sit locus, numque tuto satis repetenda sit eadem,

an

an vero scarificatio nuchæ &c. potius adhibenda. Postea usui sunt 4:o Laxantia, Antiphlogistica vel Hydragoga. Porro etjam 5:o Sialagogæ salina, vel etjam Trochisci alterantes in ore, & Turundines de Peto in nari-bus. 6:o Post scarificationem Nuchæ, manus usque ad brachia in aqua vel aceto calefacto detinentur; & hinc 7:mo Ligaturæ femorum & brachiorum, vel Epispastica ad suras adhibentur. 8:o Propinatur Julapium refocillans, vel salino diureticum; & 9:o Promovetur resolutio diebus sequentibus sub remissionibus, quantum satis est per supra dicta remedia, si ita visum fuerit; adhibitis etjam cum Cremore tartari, suffimigiis e succino, vel fomentis tepe factis ad mentem Hipp. vel potius invadente Cel. D. Lieutaud imponendo Capiti animalia viva dissecta, quæ ut Topicæ revulsiva resolventia & vires simul optime refarcientia appicari merentur. 10:o quoque moderanda vel sustentanda erit febris per Cremorem tartari jam dictum, vel per ammoniacalia, accedente Diæta, in priori casu tenui, in posteriori vero reficiente, usque dum resolutio paralyseos, si forte aecesserit, peracta fuerit, quam in rem tum Balnea myrmecina (Myrbad), cum vesicantibus, tum Epithëma Volatile Londin. cum Oppodeltoch Edinburgensium, vel Saponacea cum oleo succini, necessaria forte erunt. Hunc in finem Aetius, Forestus, aliique adhibuerunt Emollientia pingvia, Cephalicis & Resolventibus mixta. Effectum sudoriferum quem Exper. D. D. Halenius in relatione sua ex unctione capitinis per oleum Amygd. cum tantillo Balsami de Mecca mixtum, in Cephalalgia vehementiori Arthritica subsecutum esse memorat, nonne confirmat usum ejusmodi unctionum etjam pro attonitis? Cfr. Regii Collegii Medici relationem de re Medicinali 1769.
pag. 391.

Præterea sollicitus quisque statim erit, ut æger con-
C 2 venien-

venientem satis corporis situm nanciscatur, e. g. in sede lumbaria (Ländstol), vel capite pulvinaribus satis erecto, & ad unum latus inclinato, quod gressum sanguinis de sinibus lateralibus per jugulares promovet, pedibusque pendentiibus, ut facilius inde tumescant. Caput quoque tegendum capitio valde tenui atque ampio, facies conspergenda faucesque perfundendæ aceto, collare solvendum, vestes pariter atque calor cubiculi minuendæ &c. Cfr. Rosen v. Rosensteini Myotecium domesticum, Tissot, Fischer, Weppfer, v. Svieten, Cortnummum &c.

VIII. MEDICINA PROPHYLACTICA eo maxime tendit, ut præcaveatur plethora, nec non caussæ omnes removeantur, quæ sanguinis motum ordinarium ad caput, excessu vel defectu, ejusdem turbant, vel refluxum etiam retardant, debitamque adeo liquidi Nervi secretionem vel effluxum impediunt.

Ad Apoplexiā dispositi, in primis senes sexagenarii vel ultra etiam viventes, & vel maxime, qui semel Apoplexia tacti sunt, in id incumbere debent, ut motione æquabili, per aërem liberum identidem instituta, tonum fibrarum conservent, neve plethorici ipsimet redundantur, aut humores eorum inertiores. Juxta evitent stimulantes quasque causas remotas, & vel imprimis impedianc ascensum sanguinis nimium caput versus, promoteant vero regressum ejus inde faciendum. Nunquam igitur liberales sint in cibo capiendo, ut inde adgraventur, vel rubescat facies post pastum, parceque admodum vesperi epulentur. Vegetabilibus & laeticiis yitam ut plurimum sustentare debent, eo que potu uti, qui leviter urinam movet, e. g. infuso ex crustulis panis, qui cum farina Radicis taraxaci, graminis & fragariae, vel cum placentis Rubi Idei coctus & præparatus fuerit

fuerit. Hoc infusum vel pura etjam aqua, admisto paullum vino milliformi h. e. dulci vino resectivo diuretico, quod belle nutrit nec ullam ingenerat pituitatem, iis in primis propinari potest, qui temperamento, aetate, aut morbo, in senio sunt constituti. Juscula carnium, cancri cocti, carnes sylvestres, omniaque spirituosa, derelinqua-
da sunt plerisque illorum, uti quoque somnus meridianus, opata omnia, & quidquid motus febri-les excita-
re potest in corpore. Quemadmodum Nobil. Archiater & Eques Rosen von Rosenstein docet, melius est de-
bilem vitam agere & Pythagoricam, quam ex eadem sta-
tim discedere; nam quod Apoplecticis vires addit, idem
quoque præssionem cerebri auget, recidivamque de no-
vo promovet ad primam quamque Pyrexiam. Bene er-
go huc quadrant verba Hippocratis dum dicit: Si quis
cibis & potibus corpori in alimoniam & sanitatem ma-
xime idoneis & sufficientibus intempestiue aut plus ju-
sto utatur, ex iis morbi & ex morbis mortes fiunt. Cfr.
Lib. de affect. tex. 45. & diaeta acut. tex. 10 quibus con-
fona sunt haec Tislotii in Libello de Apoplexia p. 103.
"Longæva, oh quantum, gens humana, si firme cre-
deret, hanc viribus optime consulere diaetam, quæ mor-
bo magis adversatur." Si ob defectum motus Plethora-
ram evitare non possunt, quæ fere advenit non defici-
ente interea appetitu cibi, saepiusque animadverti po-
test ex increscente somno cum insomniis, pariter atque
ex rubore oculorum & labiorum; ipsam venæ sectione
tempore vernali & autumnali, vel potius scarificatione
pone aures singulis vel alternis mensibus, fistere & cohibere
convenit. Quem effectum incomparabilem hoc ipsum
præstet, exempla indubia plurima etjam heic loci edo-
cent eorum, qui hoc ipso recidivum morbum multo-
ties evitarunt; sed perpepsi sunt saepius, quam primum
de hac præservatiya remiserunt. Alyum quoque aper-
tam

tam æquabilifer servare debent Sero lactis tartarisato vel
 tamarindorum, vel Electuário lenitivo cum cassiae Pulpa,
 vel Manna & Cremore tartari, & sic quidem prævenire
 oppletiones ventri, & nixus, qui longa inspiratione san-
 gvinem ad caput congerunt. Quantum fieri potest evi-
 tare debent frigus vehemens, ventumque gelidum, item-
 que procurare, ut aëre puro recreante, modiceque refri-
 gerante, ut qui tonum fibrarum confirmat plurimum,
 respirationemque leviorem, & transpirationem liberam
 reddit, frui possint. Motus animi vehementiores, & affectus,
 iram imprimis & luctum moderare debent. Etiam a venere
 somnoque pomeridiano omnino abstinere debent; cuba-
 re autem loco temperato, capite altius deposito, potissi-
 mumque in pulvinaribus de ceta equina confectis, apertis
 cortinis: lecto neque legere nec meditari debent, sed surgere
 quam primum evigilarint: fugient calorem nimium, ni-
 dorem halitusque noxios, balnea, vestes angustas & col-
 lare adstrictum, gravia onera, clamores, & capitis pro-
 minentiam ad solum; adhibeantque præcautiones tem-
 pestivas ad vomitiones, catharros, coryzam & dolores
 pectoris advenientes quosque. Pulvis sternutatorius,
 quo per binas vices quotidie uti mane possunt, mixtus
 sit Cubebre, vel foliis Afari, Castoreo, & tantillo Florum
 benzoës; ædesque, finita calefactione, fumigentur resinis
 roborantibus, aëre in primis existente humido. Præter
 potum supra memoratum, potest etiam infusum Salviæ
 cum Radicibus Valerianæ, floribusque Liliorum Conval-
 liorum adhiberi. Manducatio aliquot granorum Sinapis
 quotidiana & matutina, haberi solet ceu bonum quad-
 dam præservativum; tutius tamen Phlogisticis tempera-
 mentis conveniunt placentæ nitri, una vel duæ, mane &
 vesperi in ore tenendæ paulatimque deglutiendæ. Ca-
 put quotidie depectere, etiam aliquid momenti habet.
 Camerarius ut præservativum certissimum commendat
 mastic-

masticationem Mastiches cum Agarico, ad unam horam, bis in septimana, stomacho jeuno, materiamque collectam expuere. Tabacum convolutum, si quotidie mane naso ingeratur, pituitam senum magis resolvit. Fonticulis vel setaceis humores quoque acri præcaveri & amoveri possunt. Verberum & flagrorum usum insignem obseratio Weferi XXI confirmat.

PARS SPECIALIS.

Species I. APOPLEXIA PLETHORICA, a plethora universalis corporis. *Apoplexia sanguinea Auctorum.*

α) Meridiana intemperantius viventium. v. Sviet. Comm. T. III. p. m. 266.

β) a cibo eucymo & cænatione. Foresti Obs. Med. L. X. obs. 34. Plat. L. I. obs. 13.

γ) a pigritia vel vita desidiosa. Morg. Epist. II. art. 20.

δ) a somno meridiano. Morg. Epist. II. art. 22. Lieutauds synops. Pr. Med. p. 129.

ϵ) a motu vehementiori e. g. venatione. v. Sviet. I. c. conf. Cortn. De attonito-morbo Cap. XXX. §. 12. 13.

ζ) a repositione vasorum ferventi aqua plenorū sub stragulo. v. Sviet. I. c. p. 252.

η) ex omissa sanguinis missione. Gohlens Praxis clinica p. 538.

θ) a Balneis. Hildan. op. Lib. VI. observ. 96. Amatus Lusit.

Diagnosīs. Hujusmodi siderati, quemadmodum intemperanter ut plurimum vixerunt, ita faciem inprimis habent rubram & turgidam, oculosque rubentes, præcipue inter epulandum, ubi tum quidem sèpe sine signis præcursoriis repente cum clamore corruunt, moxque clausis oculis, & magna spiritus orta difficultate, ac si vinculo quodam adstricti, attollere eundem prohibe-

ren-

rentur, cum somno profundo, pulsu duro & feriatione sensuum, stertunt.

Cura eadem est, quam in Generali parte jam supra diximus.

Prophylaxin eodem quoque loco absolvimus. Homo comedens, ait Hippocrates, sanus esse non potest, nisi etiam laboribus exerceatur. Sibi enim & labores adversas inter se potestates, mutuo tamen ad sanitatem conferentes, habent. Labores namque ea quæ ad sunt consumere solent; sibi vero & potus vacuata replere. Quodcunque supereretur (cibi vel labores nimirum), ex eo morbi contingunt, ex mutua vero inter se æqualitate sanitas adest.

Species 2. APOPLEXIA EPIDEMICA vel SPORADICA, a constitutione aeris.

a) *Hiemalis*. Hippocr. L. III. aph. 23. Morg. Epist. LIV. art. 10. 30. Wepf. Histor. Apoplect. XVI. Baglivi op. p. m. 683.

β) *Vernalis*. Morg. Epist. III. art. 11.

γ) *Autumnalis*. Foresti observ. Med. L. X. observ. 70. Hollerius. Störkii Ann. Med. 2:dus p. 131.

δ) *Aestivalis*, ab insolatione. Piso de morbis feros. sect. II. P. 2. C. V. Tissot de Apopl. p. 86.

ε) *Catarrhalis?* vide Apopl. Pituitosam mox infra deferendam.

Diagnosis. Sumitur a constitutione aëris epidemica, si fuerit justo frigidior & gelu densatus, vel nebulosus & humidus simulque frigidus, qui plerumque Febris Rheumaticæ aut Arthriticæ caussa est: Austrinus in primis frigidus humidusque ac pluviosus cum vicissitudinibus, præeunte calore vel subsequente frigore &c. ex quibus sensibiliiores Plethoraici senesque plenitudines capitis vel horrores sentiunt, cum langvore membrorum, respi-

respiratione anxia, Vertigine, oculorum caligine, & stupore laterali, subsequente hinc sopore Apoplectico cum Febre magna & pulsū pleno. Austrinae enim mutaciones humores fundunt & colliquant: Aquilonares poris universi corporis & vasis capillaribus constrictis, ad interna serum cum sanguine adigunt, ubi in temperamentis calidioribus fervorem concipit: Wepf. de Apopl. p. 240.

Cura Generalis esto, sanguinis missione larga, quandoque per Cucurbitas iteranda; & Enemate vel acri salito, vel ex Nicotiana; Laxante antiphl. &c. Postquam oculos aperire coeperunt, vel si modo deglutire possunt, necesse est levem sudorem procreare infusis Diluentibus e. g. ex Floribus Paralyseos vel Sambuci cum Foliis Salviae ac Aniso stellato, nec non ex Pulveribus Nitrosis cum Antimonio Diaphoretico & Eleosacharo Rosarum. Haustus Volatilis Houxhami, vel Salinus ad modum Riverii interne, & Linimentum Volatile Lond. externe, cum guttulis aliquot Balsami de Mecha vel Olei succini &c. finem ~~curæ~~ absolvunt membrorum Paralyticorum.

Medicina prophylactica requirit alvum sufficienter apertam, iis præcipue temporibus anni, quibus perspiratio Sanctoriana minuitur, & Catarrhi grassantur; loca accliviora, aquilonari minus exposita, ast Zephyro perflata, corpus conservant aduersus constitutionem gelidam humidamque ac pluviosam aestivalem atque autunnalem: nec non exercitia corporis temporibus hiemis frigioribus instituta, sed somnum fugiendo sub itineribus.

Species 3. APOPLEXIA HAIMORRHAGIARUM, ex cedatis vel cohibitis sanguifluxibus.

α) ex cohibita *Haimorrhagia* (narium), Transact. Angl. N. 273. Hildani Op. Cent. III. obs. 11. Hoffm. op. T. I. p. 346.

β) ex suppressione *Haimorrhoidum*, Hoffm. l. c. p. 343. Amatus Lusitanus. a *Febre Haimorrhoidalii*.

2) ex Menstruis & Lochiis suppressis, Hild. Cent. III.
obs. 12. Wepf. Obs. Apopl. XVII. Hoffm. l. c. p. 341.
Ballonius in paradigm. p. 318.

Diagnosīs. Carnosos invadit homines circa quadragesimum & ultra. Si animadvertisimus pruritus ani, & maricas antea observatas, vel cessationem quarumcunque evacuationum solitarum, cum Cephalalgiis, doloribus Nuchæ, gravitatione, & Phlogismate, vel Ophthalmias cum insomniis præter consuetudinem, maxime de rebus rubro colore tintatis, immo vero Carebarias ex opiatis auctas &c. supponimus & Plethora & cohibitam evacuationem causam fuisse instantis Apoplexiae. Febres Haimorrhoidales cum venis turgidis, potissimum in collo, & pulsu dicroto don Soiani, vel dolore Nuchæ, semper suspectæ habenda.

Cura absolvitur Venæ sectione, & postea scarificatione, vel potius Hirudinibus, &c. alvo prius irritata glande vel clysmatibus. Cfr. curam generalem. La Motte per validissimas crurum ligaturas Apoplecticos excitasse legitur in Chir. ips. T. I. p. 122. conf. Acta Edinb. 1756.

Medicina prophylactica circa evacuationes cohibitas occupatur, ne plethora inundetur cerebrum. Quoscunque Febres Haimorrhoidales vel alii febres post sanguifluuum cessations invadunt; illis necessum erit tempestivis uti præcautionibus, per Enemata fortiora, & per sanguisugas circa anum, vel Cucurbitas infra costas & ad Coccygem. Inter securiora etiam esto, alvum Crystallis Tartari & tantillo Extracti Myrræ lubricam servare; sic enim sanguis iners, plethora, calor, Febris & nixus periculosi, optime impediuntur.

Species 4. APOPLEXIA HÆREDITARIA, a nativa corporis fabrica & temperie, pléthoraque inde orta partiali. Ettmuller. *Habitualis Willisi.* Confer Bon. sep. L. I. p. 87. 91. Foret. L. x. obs. 75.

a) a brevitate Colli, parvicollum Cœlil. Wepfer de Apoplexia.

β) a gibbositate. Morg. Ep. IV. 16.

γ) ex Arteriæ Vertebralis sinistræ origine ab ipso Aortæ arcu. Morg. Epist. III. 20. 23.

δ) a dilatatione venæ Jugularis. Morg. Epist. III. art. 28.

ε) a Medulla molliori. Morg. Epist. IV. conf. Wepf. exc. p. 229,

Diagnosīs habenda ex statura attoniti, collo brevi, latis humeribus, facie florida, rotundata, rubra: ex gibbositate &c. Præludit interdum Cephalalgiis idiopathicis, & somnolentia post prandium. Interdum primus insultus ante annum quinquagesimum esse potest lethalis, etjamsi plerumque alias tertia vice gravius occupet, & tunc brevieribus fere accessionibus necet.

Cura hujus speciei convenit cum Generali; Clysmatibus, scilicet salitis, Venæ sectione, Cucurbitis & Laxantibus antiphlogisticis &c.

Ad *prophylaxin* conduceit parce vivere, & diæta Vegetabilium; ex robore enim accessione morbi & mors timenda. Caput frigidius tenendum, pedes vero servandi calidores. Acida Mineralia quid efficiant tempore autumnali & hiemali, æque ac aquæ Mineraleæ æstivis, tentandum: ab Hypocaustis vero & collutione corporis per aquam nimis frigidam caveant sibi ad Apoplexiā dispositi.

Species 5. APOPLEXIA TEMULENTA, a spirituosis. *Apoplexia temulenta de Sauvages*, *Coma soporiferum Foresti*.

α) *Crapulosa* Hendr. ab Heer Tungri obs. 21. Forest. L. x. obs. 70. Wepf. obs. Apopl. XVIII. Hænii rat. Med. P. IV. p. 165. *Crapulosa cum Iscuria mixta*, Morg. Ep. V. art. 12.

β) ab aquæ vita Matthioli. Hoffm. ex Höckstett. T. I. p. 256.

γ) ab immoderato Acidularum usu. Franc. Hildesheims
Spicil. T. I. p. 526.

δ) ab igne focario & somno mox post aquarum Mineralium
usum. Rosen v. Rosensteins Coll. Pract.

Diagnosis. Haec species cognoscitur ex prægressis
occasionalibus, temulentiam efficientibus, ex quibus cor-
pus excalefit. Vasa inprimis colli & faciei turgescunt &
rubent, quemadmodum in febricitantibus, oculi illacry-
mant, ipsique soporosi cadunt, cum pulsu duro & respi-
ratione stertorosa.

Curatur Clysmate & potu aceti &c. Aspersio faciei
aceto, vel aqua frigida facta, revificat. Hendr. ab Heer unum
ab ebrietate excitavit evelendo pilos mystacis, alterum
vero vere Apoplecticum Cucurbitulis. Attonitus mor-
bus si mox post factam repletionem invaserit, tunc Eme-
tica propinari possunt.

Prophylaxis. Nimiam sanguinis rarefactionem op-
pletionemque sensorii inde metuendam venæ sectio, ante u-
fum acidularum adhibenda moderat; quemadmodum A-
acetum ebrietatem ex spirituosis tollit. A decubitu so-
mnoque, post largiores statim potationes, priusquam
maxima epoti liquoris copia per vesicam prodierit, ca-
veant sibi ebriosi.

Species 6. APOPLEXIA NARCOTICA, ex soporife-
ris vel Veneniferis.

α) ex Opiatis. Tralle de Opio. Sect. IV. p. 162. Hech-
stetteri, obs. M. 3.

β) ex Hyoscyamo. de Gorter.

γ) a fumo Tabaci. Uratish. Tulpianus, Barbette, Helvi-
gius, Tissot. Wepf. de morbis capitidis, p. 601.

δ) a nidore carbonum. Hoffman. Wepf. de aff. cap. obs.
XCVII. p. 360.

ε) a fungis? acta Haffni. Vol. II. obs. 116.

ζ) a materia electrica. de Hænii rat. Med. P. IV. p. 169.

η) a

η) *a fulmine. Cortnumm. ex Benivenio. Ballay Journ. de Medic. 1769.*

θ) *ab effluviis Calcis vivæ? Hoffm.*

ι) *ex halitu fermentantis liquidi? v. Svet. &c.*

κ) *ab i&tu. Fernel. obs. 19. Tulpius. a Veneno Rabidi? Børhave & v. Svet.*

λ) *a Mercurii inepta adhibitione. Hoffm. op. T. III. ex deauratione. Wepf. de Apopl. p. 277.*

An ab Juniperinis, Liliis conv. Cerasis, succo Citri, Clysteribus &c. excitariposse dubitamus, conf. tamen Wepf. Exc. p. 235. & Tissotii L. c. Abusus resolventium e. g. Gummi Ammoniaci cum Rheo, corpus hebetat & soporosum reddit, per consequens potius Apoplexifera sunt, ut etiam Absinthium, Cepa, Armoracia, Coffea, Crocus, Allium, Cannabis, Cantharides &c.

Diagnosīs ex antegressis excutienda.

Cura. Quæ ejici possunt, statim Pulvere Algarothi ejicienda, posteaque acida & quæ virulentiam infringere possunt ingerenda, atque ultimo Cephalica, inter quæ Liquor Miner. Hoffm. cum spiritu Cephalico Cel. Præf. vel Liquore C. Cervi palmam præ cæteris capiunt, adhibenda: de cætero etiam si frustanea fæpius sit, tamen cura generalis tentanda. Nidore correpti aqua frigida cum acetato, faciei & pectori aspersa, ad se redeunt. In actis Edinb. T. V. P. II. obs. 55. describitur quidam, ex fodina carbonaria eductus ut mortuus, qui per inflationes, frictiones, & aspersiones aquæ, nec non postea per Ven. Sect. & Sal Volatile oleos. intra bilihorum reconvalescebat. Clysteres ex fumo Nicotianæ & suffitus sulphuris cuinam hic erunt usui?

Medicina prophylactica disvadet fumum Tabaci & usum Narcoticorum. Venenum Rabiei unctione Mercuriali tempestive eradicandum.

Species 7. APOPLEXIA CORPULENTORUM ex

pingvedine, sive ex vasorum inferiorum compressione sit, sive ex aucta humorum circulantium quantitate per subitam pingvedinis solutionem, v. Svieten.

a) ex obesitate, Forest. Børh. Hoffm. T. III. p. m. 207. Tissot l. c. p. 132.

β) a pingvedine in sinistro cordis ventriculo, Th. Bartol. Cent. I. Epist. 2. forte rectius hæc varietas ad speciem sequentem, scil. Dyspnoicam, referri potest.

Diagnosis sumenda a pingvedine, & sedentaria vita cum pigritia, anhelitu & somnolentia; memoria lapsu, torpore lingvæ & stupore frequenti brachii aut pedis.

Cura instituenda generalibus antiphlogisticis Enematis & Laxantibus, nec non Cucurbitulis, vel sangvisugis. Forestus p. 414. ex Valeasco refert; cum adhuc puer esset, Comiti Apoplectico contigisse, cum sine sensu & motu esset admodum obesus, ut Medicus volens eidem sanguinem detrahere, nullam venam apparentem invenire potuerit; habens autem copiam sangvisugarum penes se, eas quasi per totum corpus ipsius apposuerit, & detracta sanguinis copia, Apoplecticus curatus fuerit Cel. D. Tissot usu Aceri scillitici quandam proxime Apoplecticam de fato servavit.

Prophylaxis vero diminutione pingvedinis, & quidem sapone Alicantino & Starkii in larga copia, atque Oxymelle scillitico cum Tartaro Tartarisato, vel Extracto de Petò cum Decoceto Lignorum vel Juniperi, motu gradatim aucto, Balneis frigidis, nec non diæta tenui e. g. Lacte ebutyrato, Aceto &c. atque roborantibus obtinetur. Diæta emaciente dixit Valleriola se obesos curasse. Monente Hoffmanno l. c. evitentur carnes bubulae, porcinæ, hædinæ, lactaria, legumina omnia & fructus somnusque meridianus; sed exercitium in rheda est utilissimum.

Species 8. APOPLEXIA DYSPNOICA, a turbata respi-

spiratione fenum, sanguine inertis, vel calidi innati imbecillitate laborantium. *Apoplexia Potentialis, senilis & morientium.*

- a) a Vomitū. Malpigh. de Gorter.
- b) ab Emetico incaute propinato. v. Sviet. L. c. pag. m. 266.
- c) a Pondere vel onere nimio in capite gestato. Wepf. p. 358.
- d) a reclinazione capitī ad terram e. g. inter calcendum Morg. Epist. II. art. 9.
- e) a Nixu. Morg. Epist. III. art. 12. v. Sviet. l. c. & Partu difficultiori de Gorter.
- f) a Sternutatione, Risū, Cantu, Clamore. Tissot. Fischi. l. c. p. 178. Adolphus A. N. C. T. I. obs. 24.
- g) a Tussi vehementiori.
- h) a meditatione, inclinato antrorsum corpore. v. Svi-
et. p. 266.
- i) ex Ephialte. Boerhave.
- j) in Agone mortis.

Diagnosīn ætas senilis sexagesimum plerumque exce-
dens, plethorica facies atro rubens, cum oculis rubris
turgidis, nec non respiratio anhelofa & suspīciosa, præ-
bent. Vertigines cum torpore, memoria fallax, somno-
lentia & insomnia insyeta, in quibus multa rubea adpa-
rent, periculum augent.

Cura parcus phlebotomiis, securius Cucurbitis vel
sangvisugis, Enematibus salitis & Laxantibus &c. absolu-
vitur. Si laxans remedium deglutire non potuerit æ-
ger; quadrupla dosi injectum forma Clysmatis, similem
effectum præstabit; & si tale Clyisma injectum cito ite-
rum per anum exiverit, audacter aliud simile injici po-
terit. Heic æque ac in antecedentibus speciebus Ves-
cantia plus damni quam commodi adferunt, ut jam pri-
dem Bagliivius observavit.

Prophylaxis obtinetur cavendo plethoram; & evitando stimulus, sanguinem ad caput pellentes; nec non præcavendo obstructionem alvinam. Conf. prophylaxin Apoplexiæ Haimorrhoid. Oligophoritis aqua mixtis uti quidem posunt sub prandio, cœnationes vero sunt tenuiores. Scarificationes interdum præsertim singulis mensibus iteratae, recidivum præcavent, quemadmodum experientia non semel nos docuit.

Species 9. APOPLEXIA PHLOGISTICA, a lentore calido inflammatorio vel phlegmate calido. *Apoplexia phlegmonosa* Foresti.

a) *a concreto crassiori sanguine.* Wepf. obs. ap. XIX. Foresti L. x. obs. 87. Riol. enchir. Path. Borelli.

b) *Phreniticorum.* Forest. L. x. obs. 75. in scholio.

y) *a Synanche vel Rheumate Infantum?* de Gort. prax med. pag. 124.

ð) *a Coryza, Glandularum salivalium inflamm.* & *Polypus cordis* Wepf. de Apopl. obs. XCIX. Wepf. de affect. cap. observ. 137.

e) *Peripneumonica.* Wept.

Diagnosis. Cognoscitur ex facie admodum rubra, vel atrorubescente vultuosa, ex siccitate lingvæ, Ophtalmiis, & somnolentia insveta cum graviditate, nec non ex propriis cuiusque affectus præter naturam indiciis, a sanguine inflammatorio exortis: sic e. g. ex phlogosi sanguinis & temperie Febricosa Phrenitica; ex dolore Capitis inflammatorio diu prægresso; ex dolore Rheumatico retropulsō, vel respiratione difficultiori, cum anxietate pneumonica, vomituritionibus, rubore generum & palpitationibus cordis antegressis; ex Coryza & glandularum salivalium prægressa inflammatione &c. determinantur singulæ varietates per se. Accelerantur morbi hujus speciei abusu potus Coffæ.

Cura. Antiphlogisticis fortissimis, tum Evacuantibus tum

tum Detivantibus & Resolventibus, instituitur, scilicet: missione sangvinis larga, iterata saepius, Clysmatibus salitis & Purgantibus antiphlogisticis, Ligaturis, Cucurbitis, Vapore Aceti & Gargarismatibus Nitroso acidis, potu Hordeato Nitrato & Pulvere Crystallorum tartari cum sale succini, nec non Emollientibus ac Epispasticis ad furas, victu tenuissimo refrigerante atque attenuante &c. Apoplexia exquisita a Phlegmone omnem curam respuit.

Medicina prophylactica. Temperare diathesin phlogisticae Vegetabilibus saponaceo acidis, decocto Avenaceo, & Venæ sectione præservatoria vernali atque autumnali, vel scarificationibus menstruis, nec non pulvere ex Rheo, Tartaro Tartarisato vel Crystallis Tartari composito. Quotidie de Nitro Tabulato duas vel tres rotulas mane in ore tenere, & salivam inde proritatem pedetentim deglutire, non sine commodo salutis fit. Spirituosa etiam, vis ut angye quo pejora, evitare debent ejusmodi dispositionibus affecti.

Species 10. APOPLEXIA FEBRILIS, de Sauvages Nosol. T. II. P. 11. p. 436,

α) *Intermittentium* sub stadio frigoris. Sydenham.
β) *Remittentium Tritæ & Hemitritæ.* Carotica Torti Lethargica Werlh. Rud. Jac. Camerarii Diss. de Apopl. cum Febre 1717. forte etiam Typhomaniaca? Sauvages Nos. T. II. P. 11. p. 438.

γ) *a Febrium malignarum Metastasi.* Wepf. obs. Ap. p. 555. Morg. Epist. IV. art. 9.

Diagnosis sumenda a statu epidemico Febrium intermittentium &c. cum Urina crassa, lixiviali, foetente & innatante pinguedine, saepius cum sedimento lateritio. Præcedit in 1:0 vel 2:0 Paroxysmo svavis somnolentia binarum vel plurium horarum, aut stupiditas capitis cum frequenti micturitione: saepè etiam præcedit Hepatalgia vel Cardialgia: Tertius paroxysmus Cathaphoram vel Lethargum, & quartus

Apoplexiam lethalem saepius infert. Confer Mortoni & Werlhoffii Observ. de Febribus, &c.

Cura absolvitur prompto largoque usu Chinchonæ post operationem Laxantis Antiphlogistici. Hanc non nunquam per Metastasin ad crura solvi, observatio XXVI Wepferi ex Borrichio allata confirmat.

Medic. prophyl. Quando Febres Autumnales grassantur, purgandæ sunt primæ viæ Rhabarberinis, cum Crystallis Tartari temperatis. Et purgationem hanc primarum viarum tum vernali tum autumnali tempore obseruent dispositi quicunque quinquagenarii, ad loca humiliora & maritima tete olentia versantes.

Species II. APOPLEXIA EXANTHEMATICA, ex retropulsis Exanthematibus. De Sauvages Nosol. Tom. II. P. II. p. 414.

a) *Variolosa*. Forest. L. x. obs. 70. Wepf. de Ap. p. 219.
β) a *Miliaris scorbutica*. Allion. Cel. Præses in responsione ad quæstionem R. A. Sc. Holm. de curatione Miliaris pag. 18.

γ) *Erysipelatosa & Herpetis*. Sauvages Nosol. T. II. P. II. pag. 454.

δ) *Scabiei*. Eph. N. C. A:o I. Obs. 58. Hoffm. T. I. pag. 336. Wepf. obs. Apopl. VIII.

ε) a *pruritu senili* incaute tractato. Fisch. de senio.

ζ) *Trichomatis*. Stapel. Hist. 12.

Diagnosis habenda a retrocessione vel retropulsione Exanthematum.

Cura requirit Enemata acriora & Epispastica aut Vesicantia ad inferiora, vel iis locis, unde exanthemata retrocesserunt vel antea fuerunt: Interne vero infusum Florum Ulmariae vel Sambuci cum Lacte sulphuris; vel Essentia Ambræ cum Moscho; vel Julapium e Moscho L. conducunt.

Prophylaxis damnat usum repellentium in morbis Exanthematicis; eorumque potius loco acrimonias humorum Fonticulis amovere studet: Præterea Dyscrasias ratio habenda erit.

Species

Species 12. APOPLEXIA ARTHRITICA, ex materia Arthritica, de Sauv. T. II. P. 11. p. 453.

a) a Podagrico paroxysmo sudoriferis incaute exhibitis. Sydenh. op. p. m. 311.

b) a Podagra retropulsa. Bœrh. cons. Tom. II. p. 91. Hagedorn Cent. I. pag. 28.

c) ab Arthritide retenta. Musgrav. Cap. 15. Hoffm. opera Tom. I. pag. 338. Wepf.

Diagnosis. Deflumenda ex constitutione, & signis Arthritidis antegressis, scilicet urina crassâ fabulosa cum filamentis, sanguineorum, Zythopotarum, Haimorrhoidariorum Veneri addictorum &c. qui certis anni temporibus, Vernalibus potissimum vel autumnalibus, antea Arthritide vel Podagra vexabantur, jam vero Hemicranio vel interdum Vertigine tenebricosa gravantur. Immo quoque metuenda, si in Podagrico, vel ex debilitate senectutis decrepita, vel ex destructione extremonum corporis partium, per repetitos hujus morbi paroxysmos, vires eos usque deficiunt, ut mala materies in illis amplius colligi nequeat; vel si ex usu topicorum, ira, vel ex aliis morbis, dolores pedum cessaverint, cum anxietate & vertagine. Quibus symptomatibus, si somnolentia &c. successerit, tum angvis in herba supponendus, & cendum ne fero Medicina paretur.

Cura. Podagra retropulsa Venæ sectione derivativa & Epipasticis &c. restituenda; retenta vero, ejusmodi Medicamentis, quæ vires vitæ decrepitorum sustentant, vel restituant, ad extremitates promovenda. Inter illa Haustus salinus Volatilis cum Vino Rhenano, atque Eupepta, primum occupant locum.

Medicina prophylactica promovetur optime Diæta lactea & vegetabili. Eccoprotica e. g. Electuarium lenitivum cum Pulpa cassiae, vel Manna cum Extracto Taraxaci, ut etiam Aquæ minerales & Fonticuli his etiam proficia sunt.

Species 13. APOPLEXIA, ex nimia evacuatione Störckii.

a) ex Uteri haimorrhagia. Sydenh. op. p. 257. Störckii An. Med. sec. p. 136.

β) ex Diarrhoea. Störckii l. c.

γ) ex Draſticis? v. Hallerii opus. Anat. obs. 38. Hist. 3.
Diagnosin ex antegressis hallucinari possumus.

Cura Cephalicis & Theriacalibus, & si deglutire possunt, forte etiam Cerato Antimonii & Chinatis, vel Acido Minerali optime diluto, tentanda.

Prophylaxis forsitan spiritum antiscorbuticum Dr. sive Tincturam Bezoardicam Mich. cum Eſtentia Cascarillæ desiderat, vel Martialis.

Species 14. APOPLEXIA SPASMODICA, a motibus spasmoidicis *Apoplexia Hysterica & Epileptica* de Sauv. T. II. P. 11. pag. 453. & 456.

α) Infantum sive Ecclampsiae. Roſen v. Roſenstein de morbis infantum pag. 48.

β) a Vermibus. Scharsm. Medicinischer nachr. Anno I. p. 300. Hoillerus.

γ) a Spasmo abdominis. Hoffm. Tom. I. Sect. I. C. 19. v. Svieten t. 3. p. 269. Wepf. de Aff. Cap. obs. 32.

δ) Rachialgica. De sauvages. L. c. p. 456.

ε) Metalliforum? Rāmazinus de morb. artif.

ζ) ex Astmate convulsivo. Junckeri conf. M. p. 911.

η) a Calculis. Bagl. op. p. m. 681. ex Ichuria conf. Sp. 20.

θ) Spuria Hystericarum. Sydenh. pag. 257. Tiflot. pag. 136. Hennii R. M. P. IV. de Sauv.

ι) Pathematica, ab Ira. Hoffm. op. Tom. I. p. 191. Wepf. obs. ap. xx. Forest. obs. L. x. obs. 70. in Scholio. a Terrore vid. spec. 19.

κ) Epilepticorum. Wepf. obs. LXXX. Lancis. de morib. subit. 68. de Sauv.

λ) Convulsiva cum Epileps. Wepf. obs. Apoplex. XIV. Forest. L. x. obs. 80.

μ) Suspiriosa puerum? de Sauv. ex D. Cuslon T. II. P. 11. p. 457.

ν) ex

a) ex *Venere cum Epilepsia*. Wepf. obs. Ap. XX.

b) ex *Graviditate*. v. Svieten T. III pag. 270.

Diagnosis. Stipatur saepius haec species Convulsione quadam, vel mandibulæ cum dentium stridore, vel oculorum, digitorum, Cordisve, cum refrigeratione quadam externorum membrorum. Frequenter albicantiorum urinam singulis trihoriiis excernunt, interdum laboriole ita, ut inde forte etiam excitentur quandoque ipsa pathemata.

Cura insistit Antispasmodicis, e. g. Enematibus emollientibus oleosis, & Emulsione Cardui Mariae cum Amygdalis nonnullis amaris, aqua Chamomillæ vulg. Liquore C. Cervi succ. atque Ambra: vel Pulvere Valerianæ cum Nitro Antim. diaphor. Cinnabari, Castoreo vel Ambra & Saccharo Aurantiorum; nec non Eccoptoticis. Mirum in modum Balnea & Semicupia llevant tormenta, & Purgantia Annodynis mixta alvum nimis adstrictam ducunt. Profess. Boehmer sale volatili salis Ammoniaci cum succo Citri saturato solvit pituitam primarum viarum, nidumque vermium destruxit. Halletii specificum antispasmodicum ex scrupulo semisse Moschi, granis duodecim assæ foetidae, & granis sex Camphoræ, uti etiam oleum Galbaneti Theophrasti laudari merentur, nec non Emplastrum de Galbanio sub plantis pedum applicandum. Curam Apoplexiæ suspriosæ puerorum D. Cusson ufu Vini Emeticæ ad semiunciam, deinde Catharticis & Vesicantibus pone aures, intra paucos dies absolvebat, ita ut nullus fato concéderet.

Prophylaxis absolvitur aperitivis, reborantibus atque exercitiis. Acida mineralia ex. gr. spiritus Antiscorbuticus Dr. cum Elixirio Paregorico L. & Eissentia Cascarillæ sensibilitatem Nervorum tollunt. Confer v. Halleri opera Min. T. III. immo etiam aquæ Minerales & Martialis.

Species 15. APOPLEXIA VENTRALIS, a vitiis ventriculi &c. a mucilagine putida ad amarorem prona Helmont.

- a) *ex debilitate ventriculi?* Morg. Epist. IV. art. 4.
 B *ex pituita ventriculi.* v. Svet. T. III. p. m. 282.
 γ) *ex faburra primarum viarum* v. Haller collect. diss. anat. Vol. 2.
 δ) *Rachialgica*, ut in Rege nostro Clementissimo A-DOLPHO FRIDERICO.

Diagnosis. Extimescenda est hæc species voracibus sedentariis, in quibus adsunt indicia lentioris circulationis cum anxietate Hepatica. Signa pravæ digestionis sumuntur ex impuritate lingvæ, borborygmis & duritie hypochondriorum, vomituritionibus matutinis, obstipatione & dispositione ad Haimorrhoides: etjam timenda tum erit, ubi lati taciturni evadunt; vomituritiones matutinæ intercipiuntur, vel ubi doloribus colicis gravantur, subsequentे pressione cervicali vertiginosa.

Cura. In hac specie saepius Vomitoria propinari possunt: hancque forsitan ipsam in primis suspicatus est Dolæus, "dum ait: Vomitoria divinam afferunt opem experientia teste, & nullum est potentius remedium Vino emeticō in omni soporofo affectu ad unciam unam cum fēmisso per os, "vel ad uncias tres in Enemate cum sapone. Prævidendum tamē an circumstantiae leviorem Venæ sectionem requirant vel admittant, & videndum quid Cucurbitæ, quid Purgantia cholagogæ, quid Vesicantia valeant. Fischer post vomituritiones aqua apoplectica Langii cum sale volatile oleo S. cum fructu usus est.

Prophylaxis medicinæ ad debilitatem ventriculi & obstrunctiones viscerum incipientes attendit. Prudenti itaque nisu vires sustinendæ, impacta solvenda Pulcre possunt vesperis singulis Amara atque saponacea cum Rheo & Curcumæ, subsequentibus matutinis superbibendo Decoctum Quassiae vel Cichoraceum cum Radicibus. Valerianæ: si Haimorrhoidibus simul gravantur, aperientur yasa Ptisanis aperi-

aperitivis cum Nitro vel Tartaro Tartarisato, post quorum usum interdum Melampodii extractum conducit in Pilulis a-loeticis cum Martialibus.

Species 16. APOPLEXIA PITUITOSA, ex sanguine inertiglutinoſo. *Apoplexia a phlegmate frigido vel pituita Veterum: a lentore pituitoso frigido Foresti, Sennerti; a Viscido humore.* Wepf. obſ. ap. LXIV. LVII. a pituita crassa qnarti Ventriculi foramen obſtruente. Wepf. obſ. LXVI. a concretione glutinosa Morg. Epif. IV. art. 4.

a) ex Coryza & Catarrhoſis morbis. Fischer dc ſenio C. II. §. 34. 62.

b) Asthmatica; ex Catarrho suffocativo, Orthopnæa vel Astmathe. Forest. L. x. obſ. 75.

y) ex Cloroſi. Wepf. obſ. Apopl. XCVII. *ex ſuppreſſione Leucorrhæa.* Forest. L. x. obſ. 83.

Diagnosis. Aggreditur plerumque ſenes cacochymos h. e. pituitofos, lividos, voras, otiosos, defeffos, Diætam dyspepticam ſimul amantes, indigestiones & ventrem tumidum efficientem: Asthmaticos, respirationem anhelofam & ſtertorofam habentes & pituitam ſuperfluam per narēs, fauces & palatum, cum difficultate ſcreantes, ſæpiusque Vertigine tensiva capitis, borborygmis & urina pituitofa laborantes. Hi quoque inſomniis horrendis terrentur & Incubo interdum vexantur. Ab ipſo initio ſtipatur refrigerationibus extremerum partium, pulſu debiliori, faciei rubore ſublivido, cum tumore ſub oculis, ſæpiusque cum inſultibus Paralyticis. Catarrhalis etiam ſæpius matutino tempore, ex detentione humorum circa caput obruit.

Cura diſſiculter quidem obtinetur; tentanda tamen avertentibus atq; attenuantibus. Collutoria leviter Aromatifaſata, Cucurbitæ coecæ, & Turundines de Peto in naribus applicatæ, laudanda certe ſunt; Purgantia & Vesicantia tamen inter maxime neceſſaria numeranda, quorum hæc leviora, illa vero validiora eſſe debent. Validiora Phaſmaca jam commendavit Aretæ-

us Sideratis, ceu certum effectum præstantia & copiam magnam evacuantia. Ut vero eo citius versus inferiora determinentur, acre salinum clyisma bishorio post asumtum purgans injiciendum. Nec minor fructus ex usu externo Cantharidum expectandus. Experientissimus D. Wepfer in parte capillata, forfice detonsa, pileolum de Emplastro Oxycroceo, Cantharidibus obductum, & octo circiter horarum spatio applicatum, ut efficacissimum laudavit. Eo modo absque dolore & absque vesicis excitatis magnam copiam aquæ cum effectu sensibili ex cute eduxit, ideoque interdum bis immo ter repeti jussit. Præter hæc, salsa Diapnoica Tonicis mixta e.g. Tinctura Valerianæ Volatilis cum Liquore C. Cervi succ. curam ulterius absolvunt. Forestus una cum Camillo in commodum syderati Melancholico pituitosí usi sunt Theriacæ drachma una ceu sudorifera & hypnotica; post trium horarum alviductionem per potionem de senna, secundo die drachma dimidia, & tertio drachma una Pilularum co-chiarum acuatam. Conf. Forest L. x. obs. 77. Epispastica ad suras, & penna irritare fauces Aëtius L. VI. C. 27. Iuadet. Quibus saliva frequens vel nausea est, aut sonant aures, aut mandent oculi; illis prodest Vomitorium, ut monuerat Celsus, L. 1. C. 3. Si deglutire possunt, certe sulphur auratum Antimonii ad granas quatuor cum Terra foliata tartari in potu Cocholadæ, per vices repetitum usque ad Emesin vel sudorem, posteaque Extractum de peto cum syrupo de hysopo Zvelferi frigidioribus utilissimum foret; æque ac Oxy-mel scilliticum, quod Forestus observatione 75. & Profess. Schultz in prælectionibus ad Dispens. Brand. in Clysmatibus commendarunt. Si cum Tusci est, Catarrhum résolvit Linctus ex Olei Amygdalarum d. Syrupi de Erysimo & syrupi de Hyssopo composito vel Oxy-mellis scillitici ana'uncia, cum tantillo Balsami de Capaiva. Si rubor faciei & oculorum adeat, sicque morbus proxime coincidit cum Ap. dyspnoica; tum levior Venæ sectio derivativa vel auersoria antecedat, vel

vel scarificatio. Si superveniat Hemiplegia, tunc ptisanis aperitivis & fixioribus sudoriferis interne, atque balneis myrmecinis externe utendum, usque dum æger rhedæ immitti sicque motu aereque rurali recreari potest. Stuporem post Apoplexiam la Motte setaceo integre sanavit, quod frustra tentatum fuerat Vesicantibus & Fonticulis. Quid Flores Liliorum convallii efficiant tentandum, & quid Extractum Aconiti parca manu propinatum hic efficiat, tempus ultius stabilit.

Medicina prophylactica ad præcavendam pituitam svadet incidentia atque aperientia e. gr. sal polycrestum Parisiense, cum Antimonio diaphorectico, scammonio & scilla; Decoctum Cichorei cum stipitibus Dulcamarae, & Pilulas saponaceas cum Ammoniaco gummi & Rheo hiemali & vernali, atque aquas Minerales æstivo tempore. Equitatio & Fonticuli etjam his maximi facienda.

Species 17. APOPLEXIA BILIOSA, ex materia biliosa.

a) ex Biliosa materia. Morg. Epist. IV. art. 21. & Ep. V. art. 15. Fisch. de senio C. 2. §. 64. Bonet. sepulcr. L. I. S. II. addit. 7. a sero flavo. Wepf. obs. Ap. XCVII.

β) Ictericorum ex calculis in Cystide fellea. Wepf. obs. Ap. IV. & LXXXIX. Morg. Epist. III. art. 4. 5.

γ) Ictericorum ex resolutione sanguinis Tissot. I. c. pag. 134. an rectius ad speciem 19 referenda?

Diagnosis petenda ex foetore & amaritie oris; vel prægressis vitiis Hepatis; vel ex dispositione ad iracundiam cum vehementia, interdum usque ad livorem vel flavedinem; vel ex signis prægressis Icteri. Interdum paroxysmus Apoplecticus etjam initium sumit a copiosis nec non biliosis vomitionibus per aliquot horas.

Cura ut in spasmodica, Ventrali & Pituitosa diximus.

Prophylaxis. Biliosam materiam atque iracundiam Rhabarberina, Folia betulae verno collecta, Fructus ho-

rei & Pulvis Crystallorum tartari temperant; & Cremores avenæ vel hordei cichoriati calculos pedetentim dimovent. Singulo mane Nitrum tabularum ore tenere, inter præservatoria his perfvademus.

Species 18. APOPLEXIA ATRABILIARIA, a sanguine usto.

a) *Senum*, a sanguine grumoſo atro, cerebro minime ſicco de Haenii rat. Med. P, IV. p. 163. Morg. Ep. LX. art. 2. Tiffot. l. c. p. 117.

b) *Literatorum*, ex meditatione rerum abſtrusarum in leſto. Morg. Epift. III. art. 13. cum mœrore. Bagl. Hist. Malpigi. Tiffot. p. 116.

y) *Sedentariorum*. Forest. L. x. obſ. 77.

d) *Melancholicorum & Maniacorum*. Hipp. Aph. 56. L. VI. Forest. L. x. 78. Cardanus. Bayle in tract. de Apopl. Bonetus.

Diagnōſis. Cognoscitur hæc species ex diſpoſitione Cholerica ſicca macilenta, vel hæreditaria atrabiliaria, vitam fastidiente: ex protactis mentis exercitationibus, vigiliis, & appetentia ad alimenta acriora, in quibus paullatim livor totum corpus occupat, cum gravitate & flatu intestinorum atque ventriculi: ex mœrore & phantasia cum ſævis atque anxiis noctibus, vel ex febribus prægressis acutis, maxime ſine bona crifi tranſeuntibus: ex sanguine educto nigricante, ſero intensius flavo: ex indiciis lentioris circulationis, temperie frigida ſicca in primio ſenio conſtitutis, pulsu tardo, duro; respiratione lenta, & frequenti albicantis urinæ excretione: ex falacitate & ejusmodi aliis signis Melancholiām prædominantem oſtentibus. Si ad hæc motus immoderatus infvetus, vel ira & vindictæ desiderium &c. ſupervenerint, facile in ſiderationem lethalem abire potest.

Ad curam quod ſpectat, ut incurabilis conſideranda plerumque, niſi enematibus acrioribus, & laxantibus Mana-

na saturatis, Haustu salino ad modum Riveri, & interdum sanguisugis hirudinibus vel Cucurbitis, ad Nucham & coccygem applicatis, superatur. Venæ sectio his senescentibus saepius damnosa evadit; potius post alviductionem sudorifera, anodynus mixta, propinari possunt. Cfr. curam Foresti, ad Apoplexiā pituitosam allatam.

Prophylaxis in totum & tantum pendet a Diæta vegetabili & Zythogalæ, abstemiaque vita. Serum lactis Tamarindorum vel Acetosæ tempore verno, Aqua Selterana æstivo, & Pilulæ saponaceæ cum Tartaro tartarisato, vel Eleætuarium lenitivum cum Cassia, hieme usurpatum, bilem atram resolvunt & attenuant, alvumque leniunt. Est illis valde proficuum studiis paulo gravioribus valedicere, caput leviter tegere, hypocasta calida fugere, ac equitatione corpus & spiritus vitales roborare. Pediluvia prosunt quoque: nec reticendum, potum Coffeæ, quo phantasmatæ sua aliquoties fugare nituntur, infidum esse remedium, potiusque apoplexiferum, quam Apoplexfugum vocandum. Confr. Tiss. l. c. Singulo mane Nitrum tabulatum ore tenere, & vesperi balneis temperatis uti, inter præservatoria his commendamus.

Species 19. APOPLEXIA ex defectu spirituum; de Haen. l. c. pag. 180.

a) ex Marasmo senili, vel leviori obstructione vasorum cerebri. Tiss. l. c. p. 118. a Cerebello indurato concreto. Morg.

β) ex attentione animi summa. Lancif. vel curis protractis Tiss.
γ) a Venere. H. ab Heer obs. IX. Forest. L. XXVI.
obs. 20. Hild. C. I. obs. 19.

δ) a Terrore s. alteratione & merore. Hild. C. VI. obs.
12. Hoffm. Fischer de Sen. C. II. §. 63. Tissot.

ε) Ictericorum a resolutione sanguinis Tissotii, an hoc potius quam ad Biliosam referenda? Phtisicorum?

Diagnosis hujus speciei a defectu spirituum repetenda. Pedentim vir quinquaginta annorum lassescerbat, gra-

viterque exercitia æque corporis ac mentis per annos obi-
bat, etjamsi sat bene semper comedenter, nec non plus ju-
sto dormiverit, sed pulsus interdum paulo fortiori vel inor-
dinato fruitus est. A secundo vel tertio insultu Apoplectico
& quidem convulsivo obiit.

Cura rarissime possibilis.

*Medicina prophylactica tentanda Mixtura tonica ad
modum Stahlii cum Essentia ambrae, vel Naphta Nitri.*

Species 20. APOPLEXIA SEROSA vel leucophleg-
maticorum, ex acrimonia seri, vel copia aquæ, h. e. a len-
tore pituitoso aquoso putrido, vel sanguine crudo feroso.
Ab acrum ac irritantium saluum copia. Lancis. de subit. mort.
obs. 4. Morg. Epist. IV. art. 8. &c. *ex aqua limpida, Cerebri
anfractus implete. Bonet. sep. L. I. S. II. obs. 23.*

a) *ex Hydrope cerebri sive Hydrocephalo. de Gort. prax.*
Med. p. 124. Wepf. de Apopl. p. 429. & Hist. Ap. IV. Hilda-
nus C. i. obs. 10. Bonet. sepulcr. L. I. S. II. obs. 11. *a cerebri
subdentia, dissolutione & fluiditate. Wepf. 84.*

b) *Cachectica; ex abuso spirituorum. Piso. Bonet. sep.*
L. I. S. II. obs. 47. Hoffm. T. I. p. m. 256. de Haenii ratio
Med. P. IV. p. 165. Morg. Epist. III. art. 24. *ex obstructione
mens. Wepf. obs. Ap. XV. Quartaniorum &c.*

y) *Scorbuticorum. Morg. Ep. III. art. 14. cum aere elastico.*
Morg. Ep. V. art. 19. *a tumoribus aereis. Ejusd. Ep. V. art. 17.*

d) *a cessata evacuatione aquæ limpidae per Nares. Wepf. de
Apopl. p. 608.*

e) *a retrocesso pedum sudore: Lieutaud I. c.*

f) *ab Ischuria, vel nimia repletione vesicæ. Bon. sepuler. L.*
I. S. II. obs. 61. Morg. Ep. LXVI. art. 12. & LX. art. 13.

η) *ex consolidatione ulcerum & fonticulorum. Wepfer de
morb. Cap. obs. 139. Morg. Ep. IV. art. 13. 30.*

θ) *a corruptione lienis. Scharfsm. Med. Nachr. T. I. p. 73.*

*Diagnosis. Cachecticam distinguimus a reliquis, ex
temperie frigida & pallida cum mollitie, h. e. ex constitu-*
tione

tionē leucophlegmatica cum palpebris tumidīs: ex morā in
aere humido, frigido, paludoſo: ex vita ſenſim torpida &
pigre facta: anorexia: abuſu cibariorum frigidorum, potuum-
que ſpirituoſorum, vel hydropotū: ex ſomnolentia, ſub qua
ad eft ſtridor dentium, videturque ſibi in aqua ſuffocari, aut
pluvia, nive vel gelu obrui. Vertigines atque vagi ſplend-
dores interdum occurruunt, oculi lacrymant & nares ſtillant
feroſum, memoria vacillat, auresque tinniunt, manus tre-
munt, obliвиоſi & Paralyticī evadunt, nec non ex con-
vulſiva ſæpe moriuntur Apoplexia.

Cura. Reſorbebitur pituita aquoſa per calidiora Pur-
gantia, Hydragoga dicta, e. gr. per Scammonium, vel Resi-
nam Jalappæ, cum Antimonio diaph. non edulcorato, ſac-
charo Aurantiorum atque Haſtu ſalino ſolutam; vel per Ela-
terium cum Manna, & Clyſmata acriora ex Colocynthide
vel Helleboro nigro, quadrupla doſi injecta & repetita; nec
non per Diaphoretica fixiora, & ſpecies pro Cucuphis ex Ce-
phalicis; per ſetacea, Vesicantia atque Apophlegmatisantia
acriora, ori & naribus applicata. Conf. Tralle de opio, ſect.
IV. p. 162. Frictiones his etiā convenientiunt; a Vena ſectio-
ne vero ſibi caveant Medici, ubi motus ſangvinis per vafa
langvet, copia ejus deficit, & materia morbi extravasata
in cavis corporis accumulatur, vel lentum illud glutinoſo
aquoſum circa anguſtias ultimas vaſorum arterioſorum hæ-
rere incipit. Vide v. Sviet. Comm. T. III. p. 299. Si vero
hæc cum dyspnoica vel pituitoſa fuerit combinata, tum cer-
te Cucurbitæ & pileola Wepferi neceſſaria habenda.

Medicina prophylactica Hydropicorum & Cachecticorum
eſto, copiam feri Scilla & Hydragogis evacuare, & Haima-
topojesin reſtituere Decocto Gvajaci, amaris & Martialibus
atque antiſcorbuticis; calorem vero intervenientem immo-
dicum Cremore tartari moderare, quo ſic prævertamus
cauſam prægumenam Attoniti morbi. Viſtus ſiccus & ſti-
mulis conditus, qui torpidas follicitet fibras, immemora-

que sui officii cola excitet, e. g. ex pane bis cocto, carne assa, piscibus fluviatilibus pariter assatis, & potu meraciori. Suam laudem Vina Medicata, amara, diuretica etiam merentur. Conf. Tissot p. 127. Antiscorbutica & fonticuli multum commodi adferunt, si a constitutione scorbutica, vel consolidatione ulcerum, vel retrocessis serosis quid timemus.

Species 21. APOPLEXIA TUMOROSA, ex concretiōnibus vel tumoribus, saepius intra calvariam. *Polyposa Boerb.*

α) ex *Polypis sinuum & Cerebri*. Wepf. obs. ap. LXX. de Haenii rat. Med. P. IV. p. 173. a *polypo cordis & arteriarum?* Wepf. obs. ap. LXXI. 100. Schachtii inst. Med. C. x. §. 6.

β) ab *Exostosi*. v. Svet. Comm. Wepf. ex Schobero obs. Ap. XXV. ex duobus officulis cerebri. Cortn. ex Scheidii diss. argent. habita 1687. Morg. Epist. III. art. 22.

γ) a *steatomate*. Drelin. Bonet. sep. Wepf. obs. Ap. LXXXIII.

δ) a tumoribus *Meningum &c.* Wepf. obs. Ap. LXIII. Medical. Essai T. III. §. 23. a *tumore insigni supra callosum Cerebri corpus*. Plat. ex *Abscessu duræ matris disrupto*. Wept. 82.

ε) a *Magnitudine Glandulæ pinialis*. Morg. Ep. V. art. 12.

ζ) ex *vesicis aquosis corporis callosi*. Wepf. obs. ap. 81. ex *Hydatidibus plexus Choroidei*. Morg. Epist. V. art. 8.

η) ex *coalescentia bregmatis*. Wepf. obs. Apopl. XII.

θ) *Aneurismatica vel varicosa*. Morg. & Störck de Stram.

Diagnosis. Suspicionem movet prægressa Cephalæ idiopathica, periodice exacerbata, cum aliquali stupiditate, sopore vel oblivione; nec non cum motibus Epilepticis idiopathicis, caligine vel Amaurosi &c. Cachectica etiam temperies cum lassitudine sine febre uila interdum adest. Quemadmodum illustr. Bœrhaius in Aphorismorum §. 1010 docuit, Polyposæ præcedunt frequentes cordis palpitationes, vasorum colli vibrationes, tenebricosæ vertigines sive Scotomia, pulsus maxime irregularis, præsertim ad motum caloremve auctum.

Curam omnem respuit.

Prop by-

Prophylactica Medicatio Stramonii, Mercurialium & Antimonialium vi resolvente, & per Diætam tenuissimam, optima forte erit.

Species 22. APOPLEXIA EX COMPRESSIONE VASORUM, e. g. colli &c.

- α) *Suspensorum.* de Sauv. l. c. p. 403. Wepf. de Ap. p. 167.
- β) *a collari nimis adstricto.* Acta Holm.
- γ) *avenæ cavæ suppressione.* la Motte traite de Chir. T. II. p. 186.
- δ) *a tumore palati.* Morg. Ep. IV. 26. *a tumoribus scrophul.*
- ε) *ex Aneurismate & varicibus Aortam comprimentibus.* Bonet. sep. L. II. S. II. obs. 18. 29. Morg. Epist. III. 8.
- ζ) *Apopl. in qua Carotis dextra ossea.* Wepf. obs. ap. XCVIII.
- η) *a tumore sanguineo Reni sinistro adhaerente.* Morgagn. Epist. III. 18.
- θ) *a vitiis ossis in arteriis inferioribus.* Morg. Epist. LX. 12.

Diagnosis ex iis quæ Jugulares &c. comprimunt, sumitur.

Cura suspensorum phlebotomiis iteratis, etjam in jugulo; scarificatione ac Enematibus, tentanda. Conf. de Sauvag. & Wepfer. Si tumor Venas Jugulares comprimat, tum tota cura pendet ab eo, ut tumor ille tollatur.

Prophylaxis dirigenda ad morbos collares, defluxum sanguinis retardantes.

Species 23. APOPLEXIA TRAUMATICA. ex vulneribus capitis. de Sauvages l. c. T. II. P. II. pag. 452.
Apoplexia inflamat. Boerhavii.

- α) *a concussione cerebri.* Acad. des scienc. l' an. 1705. Schulteri armament. Chir. p. 207. *a validiori commotione Capitis.* Forest. L. x. obs. 79. Tulpius L. obs. 3. *ex Colapbo.* Hild. C. VI. obs. II. *a casu ex monticulo.* Wepf.

- β) *ex impressione cerebri.* v. Svet. Schacht l. c. §. 8.
- γ) *a fractura internæ laminæ.* Bonet. sep. L. I. S. II. obs. 25. Paræus.

- δ) *a vulneribus.* ex jactu lapidis, ex ramis arboris dentis &c. Wepfer aliique.

ε) ab

e) ab Ictu. Hild. lent. II. obs. 3. 4. Wepf. de morbis Capitis. *ab Ictu in oculum sinistrum.* Fernel. obs. 19. *prope Nasum &c* Bon. sep.

Cox ablato tumore in capite manu chirurgi. Barthol. obs. Cent. IV. hist. 86. Walæus.

Diagnosis. Timenda est post prægressas violentias: ubi cranium intropressum, vel post fracturam intropulsum; vel etiam ubi cerebrum concussum vel vulneratum, producit hebetudines, sopores, caliginosas vertigines, Haimorrhagias, tinnitus vel surditates, amarorem oris vel vomitum bilis æruginosæ, immo interdum lotii stillicidium foecumque spontaneum exitum &c. Quibus vero post vulnera vel concussiones sensuum motuumque deletiones accedunt, profundoque & perpetuo somno obruti quasi videntur, ii Apoplexia traumatica laborare atque obire dicuntur.

Cura absolvitur ablatione pungentium, restituzione vero prementium in statum naturalem, & depuratione infectorum, nec non per conservationem hujus status apta delegatione, ut docuit Boerhaavius. Huic scopo inservit rarius elevatio cranii, sæpius vero trepanatio, una cum Generalibus & Diæta Antiphlogistica, ne in lethalem fere semper Gangrænam, vel in fungos excrescentes sese determinet malum. Cucuphæ ex Absinthio vulg. Mentha cr. foliis Lauri, Floribus rosarum r. Radicibus Ireos fl. & Baocis lauri &c. componi possunt. TANTUM.

ERRATA EXSTANTIORA. Pag. 7. lin. 1. *Willisius.* p. 8. l. 3. plexibus, l. plexibus. l. 21. humeribus, lege *humoris.* p. 10. l. 12. visidis, l. *vifidis.* p. 14. l. 12. resolutem, l. resolutionem, resolvitur, l. non resolvitur, l. 20. Phodius, l. *Rhodius.* p. 15. l. 1. si recrudescunt, l. *morbus recrudescit.* p. 17. l. 22. Scultzii, l. *Schultzii.* p. 19. l. 16. appicari, l. *applicari.* p. 20. l. 8. minuenda, l. *minuenda.* l. 17. sexegenarii, l. *sexagenarii.* p. 21. l. 2. milliformi, l. *melliformi.* l. 7. plerique, l. *a plerisque.* l. 13. præssionem, l. *pressionem.* p. 22. l. 4. ventri, l. *ventris.* p. 23. l. 5. acri, l. *acres.* p. 24. l. 7. & 10. Sibi, l. *cibi.* p. 25. l. 27. frigidioribus, l. *frigidioribus.* l. 29. cedatis, sedatis. p. 27. l. 10. humeribus, l. *humoris.* p. 29. l. 17. Algarothi, l. *Algarothis.* l. 31. fumum, l. *fumigationem.* p. 33. l. 17. visut angue quo, l. *ut angue quovis.* p. 35. l. 26. restitunt, l. *restituunt.* p. 37. l. 15. levant, l. *levant.* p. 38. l. 10. impuritate lingvæ, adde *& ructibus singultuosis,* cum *laſitudine & frigore pedum;* l. 25. volatile, l. *volatili.* olefo, l. *oleof.* l. 32. Radicibus, adde *Chinæ vel Valeriane.* Si &c. p. 39. l. 17. vorases, l. *voraces.* p. 40. l. 23. granas, l. *grana.* Cetera excusatib L. B.